



Patrocinium Defvntorvm

Hautin, Jacques

Leodii, M.DC.LXV.

Articulus III. De patientia probrorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)

381. Idem quoque ex subjecta historiâ lucu-
Pauper- la mulier
patientia
monachū
liberat.
 lenter patebit, quam ex Cœnobii S. Tru-
 donis manuscripto erutam producit Elias à
 Theresia legationis suæ l. 2. c. 23. Tempo-
 re hujus Abbatis, nempe Willielmi, qui ex
 Investito Aquisgranensi factus fuerat Ab-
 bas S. Trudonis prope Traiectum ad Mo-
 sam, circa Annum Domini 1250. contigit
 unum devotum hujus loci Monachum ab
 hoc sæculo transire, qui in ipsamet nocte
 Abbati comparens ad pœnas Purgato-
 rii addictum se ingemuit, cui compa-
 tiens Abbas ipse quæsit per quem mo-
 dum efficacius liberari posset. In suburbio
 quod novæ domus dicitur, inquit, matrona
 paupercula moratur sub domuncula illius
 plateæ, cujus pœnitentia mihi præcipuè
 auxiliabitur: sicque anima illa evanuit. Igi-
 tur mane facto, misso festinante nuntio in-
 venit illa in tali domuncula, & nomine
 eodem nuncupata, prout anima illa prædi-
 xit. Quæ cum præsentia ipsius Abbatis
 consedisset, interrogata de statu, & modo
 suo vivendi, respondit. Charissime Domi-
 ne, ego peccatrix maritata sum, nullius
 meriti conscia, quæ habeo maritum inso-
 lentem, ebrietatem frequentantem, qui
 dum ferò de taberna domunculam no-
 stram intrat, filantem me invenit, & cum
 paventem me respicit, maledictione, cum
 gravibus verberibus, sine demeritis indefi-
 nenter afficit. Tunc Abbas: Quid agis fi-
 lia post tanta gravamina? respondet, pro-
 sterno me ad orationem, & tunc recolo
 Pasionem Christi, & continuo tam dul-
 cem consolationem in mente sentio, quod
 omnium miserationum pondus pro nihilo re-
 puto. O Charissima, Rogo te, inquit
 Abbas, ut velis nuper defunctum nostrum
 confratrem pœnitentiæ, & orationum tua-
 rum facere participem. Cui illa, liberali-
 ter, ait, profit illi totaliter, si quid in Chri-
 sto gratum offerre merui, & sic ad sua re-
 celsit. Nocte igitur sequenti Abbati in
 suo strato quiescenti anima illa in claritate
 magna apparens, gratias illi obtulit, quia à
 pœnis se liberatam, & ad æterna gaudia se
 ascendentem dulci voce resonans conti-
 nuò evanuit. En ergo habes, quam vim
 habeat satisfaciendi adversorum patientia,
 etiam eorum quæ inopinato, ac præter vo-
 luntatem occurrunt: Quæso te vehementer
 ut non frustra habeas. Memento
 quantum tuâ causâ tu laboraverint defun-
 cti: quantum etiamnum tolerant: & sal-
 tem hoc illis da, ut quod necessariò pate-
 ris, pro illis patiaris.

ARTICULUS III.

De patientia probrorum.

§ I.

*Iniuriarum condonatio multum valet
 ad levandas defunctorum
 animas.*

V ALERE quidem exploratum est ex illo Christi effato Matth. 6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittetur & vobis Pater vester cælestis delicta vestra.* Item ex hoc communi pronuntiato ejusdem Matth. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Ex quo loco arguere etiam licet vim eximiam satisfactionis insitam huic generi misericordiarum, quia qui injuriam famæ illaram condonat, plus aliquid donat, quàm si fortunas largiretur, quandoquidem *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multa.* Unde condonationis difficultas emergit, (præsertim, quod nomen hoc injuria velut discerpatur, ac dilapidetur) estque idem injuriam remittere, ac nominis, & famæ jacturam æquo animo ferre. Si verò de damno, fortunis, aut corpori illato agitur, & illud condonare, arduum sit, necesse est. Nam in eo inferendo contemptus ut plurimum intervenit, quem concoquere, indoli humanæ, utpote superbæ, perquam difficile. Quare etsi vindicta neque deceat hominem, neque utilis sit illi, vixque aliqua momenti ullius pariat voluptatem, quam cruciatus conscientiarum intolerandus continuo excipit, etsi condonatione egregium charitatis in Deum, ac proximum officium, Christi Domini nostri, ac Patris cælestis imitatio, pax animi, ac vitæ tranquillitas, ac denique firma spes obtinendæ pariter à Deo veniæ contineatur, tamen ad levis injuriæ sensum exardescit animus, sanguis ebullit, mens ad ultionem anhelat, & experientia ipsa demonstrat, non nisi magnâ virtute posse appetitum vindictæ comprimere. Quare cum opus eò potentius sit ad satisfaciendum, quò difficilius, exploratum est injuriæ remissioni non vulgarem inesse vim piis manibus opitulandi.

Testis mihi locuples illa mater, quæ condonatione cædis unici filii, ipsummet filium igneo carcere liberavit. Rem, ac sty- lum ex nostro Osorio mutuor. Sic igitur ipse. *Vidua erat unicum habens filium illustrem, & heredem multorum bonorum.*

Hunc

Hunc occidit inimicus eius, & continuo se abscondit. Cumque à pratore inquireretur ad necem, novit mater filii mortui ed Praetorem ire velle, ubi se abdiderat occisor filii sui, & in corde etiam materno tantum valuit dilectio Dei, ut decreverit filii occisorem liberare, quod & fecit, mittens occisori filii sui equum, & pecunias, monensque fugam: quod cum fecisset, ingressa est oratorium, & pro filii animâ oravit. Cui oranti continuo adstitit filius luce ornatus, matremque sic affatus est. Cum inimico pepercisti, & pro me orasti, mater mea verè effecta es plus, quàm cum me genuisti. Insigni enim tua charitate, & oratione à Deo obtinuisti veniam omnium meorum peccatorum, & indulgentiam consecutus sum multorum annorum, qui mihi restabant in Purgatorio exolvendi, sicque in matris oculis cælum ascendit. Tantum apud Deum valet oratio post dimissas iniurias. Ita Oforius: O si multas huiusmodi matres orbis haberet! quot liberi ex isto carcere brevi in Cælum emicarent.

884. Non absimile est, quod de Beata Lucia Narniensi commemorat Joannes Rechac Dominicanus in Sanctimonialium ejusdem ordinis actis. Hæc quotquot paulo ante obitum defunctos Deo commendavit post synaxim, eos purgantibus flammis eripuisse fertur. Imprimis Ferrariæ Ducem, insignem suum Mœcenatem, & Pontificis Datarium avunculum suum, itemque fratrem. Vis causam? Per summam sibi subjectarum injuriam Præsidis inter Religiosas gradu deturbata fuerat: insuper fictæ virtutis insimulata, imo pro stolidâ, quin & pro sacris interdiciâ per triginta annos domi forisque habita, quæ omnia æquissimo animo toleravit. O igitur felicia, & verè honorifica probra, quæ defunctos ad gloriam cælestem tam facile evehunt;

§. 2.

Negatus funeris honor subinde prodest defunctis.

885. *Declaratur exemplum S. Pachomii.* HIs annecto rem miram, & quæ peritis moveat non vulgarem difficultatem. S. Pachomius à quodam Episcopo accersitus, judicavit e re esse, ut omnia monasteria ditioni suæ subiecta lustraret. In itinere vidit monacho nuper admodum officii sui negligenti, & iam vitâ defuncto, multos alios cum cantu, & honore exequias ferre longa parentum amicorumque ferie comitante. Cum accessisset, subistere omnes iussit, & silere, tumque vela-

men funebre perquam magnificum è sandapila tolli, ac comburi coram omnibus, & tantum desinere, & ita deferri; inhumarique cadaver. Mirari omnes imperium tale, tamque insuetum, parentes Pachomium flagitare, saltem ut psalmi in exequiis de more decantarentur. Quod cum negaret Vir Dei, illi in murmurationem abiêre. Enimverò numquam quid simile visum, auditumque, neminem hominis mortui non misereri, licet inimici. Videret ne bestiis efferaior esset, non modò ne quid sanctimonix suæ indignum faceret. Denique hoc pacto detrahi honori parentum defuncti, suo, inquam, quem integrum esse vellet. Quare mortuum cœptis iam officiis impertiri sineret. Ad hæc Pachomius sedatè, maior, ait, me, quàm vos capitis defuncti miseratio. Quippe cura hæc vestra non aliud spectat quàm quod sub oculos cadit, ac fluxum est: at ego contra animæ illius commodum, cuius causâ id præcipio. Vos certè tali honore supra fidem vestram illi incommodatis, at mihi consilium est hoc probro eidem favere, atque aliquid ad lytrum illius conferre. Quod si vobis postulata concederem, argueret me Deus, quod vestri potius, quàm ipsius respectum, ac animæ defuncti rationem haberem. Itaque quod iubeo, æquè bonique consulite, ut ille aliquid inde levaminis capere possit. his & eiusmodi dictis persuasit illis ut terræ illum in aliquo è sepulchris consueris sine honore mandarent.

Ubi mirum est profectò, quod vir ille sanctus asserit, eam funeris magnificentiam defuncto incommodare posse, contra verò prodesse ad quietem, ac levamentum ejusdem funeris humilitatem. Sed admirationi satisfiet, si cogitemus primum magnificentiam illi obesse potuisse, quod subsidium animæ impediret; utique illud quod à parentum modestia, atque humilitate Christianâ profectum fuisset, quo pacto funeris humilitas potuit prodesse. Deinde dici potest penam illam negligentix defuncti, quemadmodum cæteris monachis utilem, ita & piis illius manibus salutarem, non quidem per sese, quasi benè sit illis, quod cadaveri male, sed quatenus aliis isto exemplo percussis preces pro defuncto fundendæ plus valituræ erant, utique ex animæ demissione profecturæ. Ad extremum fortè cadaveri illatum probrum ex quadam Numinis misericordia, & velut de congruo merebatur ut animæ solatium aliquod accederet, idque forsitan sancto viro erat promissum. Vide S. Pachomii vitam apud nostrum Heribertum Rosweydam in vitis Patrum. P. 129.

CAPUT

886.
Expositio
auxilii in
de profecti.